



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XLIX. In Domin. XX. Post Pentec. Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Arg. Capharnaum Metropolis malorum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

illum æternum ridetis? si fulmina materialia defugitis, cur cœlestia à deo vobis intentata ultrò procuditis, & acceleratis? Quod si in vobis, vel acumen ullum ingenij, si quis radius intelligentiæ, aut prudentiæ superest, qui hocce tempore, emancipati à sevitis ad alium statum propendetis, accura-

te, ut eundem fine optimo, illibati aspiciemini, ut in Domino nubatis, ut vestem nuptialem integerrimam conservetis; ne vobis in hoc mundo purgatorium, in alio infernum architectemini. Avertant id. boni superi. Amen.

CONCIO XLIX.

IN DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum.

ARGUMENTUM.

CAPHARNAUM METROPOLIS MALORUM.

II. **M**iseria M apud Latinos reperire est, quæ omnes per-rumpunt excubi-as, omnia claustra perfringunt; omnia, quantumvis angusta, occupant; conclavia. A. Ista ut manifestius edisseram, sunt Miseria, Morbus, Mors. Nullum quippe domicilium in hac mortalitatis nostræ patria exhibere est, in quo Miseria, & sæpenumero cum aceto non fuerit delibata. Nullum in quod Morbus non deflexerit; nullum, quod atra Mors æquo pede non pulsaverit.

*Miseria,  
morbus,  
mors ubiq;  
operant.*

Dario Regi in lenimen, ex morte dilectæ conforis, hausti doloris, sua-

sum à Democrito, quatenus unam, alteramve domum inquiri demandaret, in qua nemo unquam atratus incessisset, quam nullus unquam casus adversus excepisset: nulla occupasset ægritudo, ad quam inexorabiles Deæ nunquam divertissent, & se demortuam ab inferis revocaturum. Acquievit conditioni Rex, & illico per suos exploratores acri indagine inquiri curavit ejusmodi domos, ut rebatur extenso pollice demonstrandas. Quo tamen eventu? Cum magno studio, ac solertia scrutati; ac percontati plurimas urbes fuissent, toto imperio, vel unam, quæ jam ætatem tulisset invenire potuerunt. In omnibus aut inquilinæ, & domesticæ, aut hospites habitæ.

Has.

Has tres Lamias ex hodierni Evangelij contextu conclavia Reguli Capharnaitarum subisse accepimus, eaq; sui propemodum juris reddidisse. Quippe Miseria facta sibi per obstantes excubias aditu, totam regni sedem lamentis, & doloribus repleverat; Morbus corpus filii extremè afflixerat; Mors jacula tua in illum, jam jam depromenda, aptaverat. *Incipiebat enim mori.* Quà viâ quæso in tam basilicas irrupere ædes, vel qua via nos identidem eadem Lamia impetunt? Id inquirendum.

PARTITIO.

Et si non raro per arcanas semitas, & clandestinos cuniculos irrumpant; ut plurimum tamen alia via, cui insistant, non est, quam ea, qua venit, vel iter Capharnaum. Quenam autem illa? Via nimirum voluptatis, & luxus. Id enim, S Hieronymo interprete, sonat Capharnaum ex Hebræo idioma te; & hæc est via trita, & præfatis contubernalibus, id est Miseria, Morbo, Morti usitatissima.

§. I.

*Via regia Miseria ex Capharnaum.*

II. **E**T enim ut de Miseria aspiciet, eam à Capharnaum, seu luxu & voluptate identidem proficisci, experientia ipsa comprobatum est.

Ite liberis mentis passibus, & avidè peregrinantibus per orbem terrarum, lustrate deliciarum semitas; & earum vestigijs inhaerere miseriarum, afflictionum, dolorum agmen deprehenditis.

Libate innocentibus labijs universitatis gaudia, & in singulis dulcis & amari, luxus ac luctus mixturam reperietis. Ingreimini, si animus est, ædes basilicas, testæque prælustria; occurrent vobis primo intuitu conciliator peristromate vestiti parietes, lecti ostro, & purpurâ compositi, mensæ Apicij cupedijs, ac bellariis graves, famulundosis spectabiles paludamentis, aliave adulterinæ beatitatis lenocinia. Hic illam dilectam vobis Deam, sequestrata procul calamitatum, ac curarum turba nidulari, hic morari, hic convivari ariolabimini. Ubi enim commodiorem habitura locum, atque in tam splendido, basilicovè domicilio. Verum si interiora conclavia, reductis quadantenus siparijs lustraveritis; animadvertetis vel chaos unum nihili, in diffusis late spatijs imaginarijs, vel ingens miseriarum agmen, & amaritudinum catervam accubare. Inauditæ aurum id omne, quod intus rutilat in ære esse, nec tot fila numerari posse bombycina, quot nomina prope contracta. Arbitrabimini vel in ipso vestibulo condensatas pauperum oppressorum querelas, & illas mellis medullas cado fellis temperatas, experiemini.

*Miseria voluptatis pedissequa*

III. Et ne forte in re tam seria hyperbole vobis uti videar, accedite propius, lectulum in quo resupinatur excutite, quibus rosas, aut flosculis instratum sit, scrutamini. Et ex ore illius audietis durissimis, acerbissimisque incrustatum aromatibus: *Aspersus*, inquit, *cubile meum, mirra, & aloë, & cynamomo.* Quorsum istud Domini mei? Non ad gustum; quoniam myr-

*Voluptatis Thalamus quoniam Prov. 7. 17.*

*Hier. l. 1. & alij*

myrrha, & aloë, ut innui, acerbissima, & amarissima sunt; & si cynamomum lenocinatur palato, alia amari cant eundem. Non ad mollitiem; Liqueat enim durissimas esse species illas, & myrrham lapidis instar excōctam. Eheu! quam rigidè recubat, quisquis aloë, & myrrhā lectulum suum exasperat. Non etiam ad odorem. Quoniam nisi conterantur, aut incendantur tenuissimum ex se evaporant. Quorsum itaque delicias suas myrrhā, & aloë attemperat; non nisi ut ostendat nullam sine amarore existere voluptatem, illamve, ut plurimum, plus amaritudinis creare in præcordijs, quam delectationis in faucibus. *Aspersi cubile meum myrrha &c.*

*Non mensa*

IV. Inquire ultra quem gustum embammata illa in abaco, quid mera in carchesio referant. Et indicabit vobis planiore, quam sperassetis responso: Moyses in cantico suo: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrha: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi.* Sodomorum fruges, & poma eminus spectata pulchra sunt, & mellita, at in se fœtida, ac felilita; exterius spetiosa, interius cinerola. Quod eleganter adnotavit Hegeffippus cum scriberet: *Spertes illic ad speciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem, si carpas fatiscunt, et resolvuntur in cinerem.* Ad eundem modum voluptas ingreditur blandè, ac lapidè, in fine mordet, ut coluber.

*Hegeffip.  
lib. 4. c. 18.*

Indagate de aliis omnibus sensum sapientissimi Salomonis; & audite quid reponat: *Omnia, inquit, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui*

*Ecl. 2. 10.*

*cor meum, quin omni voluptate fruere, & delectaret se in his, quæ preparaveram.* Edificavi mihi domos & sevi pomana, quæ vel ipso intuitu delicias ingenerent; constitui cantores, & cantatrices; qui curas omnes, sono ipso à me arcerent; plantavi vineas, in quarum vindemia demergerentur, &c. Quid inde? Quo effectu? *Et vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus.* Reperi in cunctis verum malum, falsum bonum; reperi universa gaudia suffulta doloribus, omnia sacchara temperata absinthio, omnia Massica aqua nimium diluta. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus.*

*Ibid. v. 11.*

V. Miramini quo fundamento id dici queat, quom in ipsorum fronte ad amœnitatem exporrectissima sessitet hilaritas; risus in ore inambulet, cætera membra spirent gaudium, ac lætitiā. Quod quaritis? Eò quod dixit Iob sapientiæ non minus, quam patientiæ inclitum decus: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Ad mensuram puncti unius acus subtilioris perennat; puncti quod nec longitudine, nec latitudine diffunditur; puncti de quo maxima inter Sophos quæstio, num differat à nihilo; puncti, quod terminus est lineæ subtilissimus, & acutissimus; puncti, quod pungit, & lædit conscientiam, sanitatem, vitam, honorem, æstimationem. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

*Gaudium  
cur puncti  
Etum dia-  
tur.*

*Iob. 20. 5.*

VI. Seite à quibusdam disceptatur, qua de causa Author naturæ hominem ita efformaverit, ut ad lachrymas fundendas non aliud membrum quodpiam, quam oculos destinaverit. Non dedit auribus, nec contulit ori, nec alii

*Oculi cur  
lachrymas  
senturios*

*cui*

cui alteri membro id officium, sed solis hirequis. Unde hoc? An quod oculus graviolem habeat lachrymarum occasionem? Ipse enim perspicit inter alios sensus evidentius supremi Numinis offensam; & quidni easdem (si germanus ejusdem est cultor) lachrymis expiare contendat. Ipse aliorum miseriam, nuditatem, mendicitatem, vulnera, & ulcera intuetur manifestius, quidni (nisi livido sit animo) indoleat tantis, aliisque proximi calamitatibus. Ipse semet contemplatur extorem à cœlesti patria; exulem, & peregrinum in regione umbræ mortis degere; & quidni prodat aspectus, quod dolet affectus? Quidni iriget vultum torrente lachrymarum, & intra se suspiret? *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitari cum habitantibus cedar.* Sum in regione aliena, & in coloniam procul à patria positam demardatus; eheu quando revertar illuc in pace. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.*

*Psal. 129. 8*

Per-suadebit sibi alter id factum ad similitudinem mundi majoris, ac minoris. Quod enim in illo est cœlum, hoc in isto caput; quod in illo Phœbus, hoc in isto oculus. Ergo quemadmodum ille humores, lymphasque attrahit: ita conveniens erat, ut & isti ex oceano cordis derivarent, & in campum faciei genarumque distillarent. Non diffiteor his, aliisque de causis ab Opifice naturæ eam oculorum, lachrymarumque conjunctionem fieri potuisse,

Attamen si profundius arcana divinæ sapientiæ consilia scrutemur, haud abs re fuerit conjecturare id sanctum

esse; ut unde solatia imprimis influerent; inde lachrymæ, doloris indices exundarent. Nullus sensuum tanta pollet facultate ad hauriendas delicias, atque oculus. Os, aures, manus, suo indentidem frustrantur desiderio, oculus rarissimè. Diploma universalissimum hic obtinet, ubi ubi placuerit, diffusa obire camporum amphitheatra, haurire illam jucundissimam silvarum varietatem, hortorum amœnitatem, fluviorum blande labentium suavitatem, lustrare turrium colophones, domorum propylea, arcium propugnacula (sæpe sæpius nō nisi ad illius sacrificandum genio architectata) valeat. Videte quid naturæ author fecerit. Siquidem, inquit oculus præ cæteris membris sibi indulgere novit, præ omnibus plectatur, haustas voluptates doloribus, ac lachrymis detergat, quavè portâ ingressum illæ sibi fecere, eadem exturbentur. Sint oculi scopuli, ad quos allidantur, sint mare lachrymæ in quibus demergantur; vel certe voluptas, ac mœror in eadem sede morentur, in eadem oculi orbita volvantur, in eadem pupilla resupinentur.

*Voluptatis  
ac luctuum  
eadem sedes*

VII. Valde paradoxum mihi semper visum est, quod in hunc finem è divini-  
oris consilii arcanis protulit sapiens; dū aiebat: *Melius est ire ad domum ludus, quam ad domum convivii.* Consultius ire ad epulū sepulchrale, quam ad convivium nuptiale; audire epiceniū, quā epithalamium, refici absynthio et aceto, quā ligurire massica, et Phalema. Cujus veritatem, ut assequeretur, omnes sensus meos tanquam inferioris scabelli proceres in consilium coegi, dicturos sententiam, quid sibi videretur. Oculus

*Eccle. 7. 3*

utpote princeps cœterorum primatum reuult, dicens: Mihi omni ex parte melius, sapientiusque videtur eundam ad domum convivii. Hic enim integrum erit intueri ornatum personarum præsentium, laquearia portatili forma decora, dapes non ad gulam duntaxat, sed ad visum satiandum patenarijs cohortibus instructissimas, lusus, salusque ad omnem hilaritatem corporis, animique in campum eductos, aliave haud mediocria lætitiæ spectacula arbitrari. At verò in domo luctus quid speculabimur? Profecto nihil præter tristes, ac dejectos vultus, cadaver exangue purulentum, foetidum, atratos parietes, ferale scenas, et gemella Proserpinis regnis simulachra. Successit auris, & in eandem decidit sententiam. Quid, inquit, delirat sapiens; itane illi caput hac in re rotatur? Nonne acceptus est lætium audire Pæana quam lugubres Præfigurarum nœnias? Nonne magis arident plausus, quam planctus? Nonne vivacius excitant mœrore sopita præcordia festivæ comediæ, quam lamentabiles tragædiæ? *Melius itaque & meo iudicio est, ire ad domum convivii luctus.* Secundum ipsum insanus ajebat Gustus forem, quam nisi malim ire ad mensam opiparam, epulisque referatam, quam ad abacum solo pane mucido & lachrymarum torrente ebrio instructam; ni malim haurire Liberum, quam lympham, nisi malim delectari cupedijs, quam obviis frui oleribus. *Melius est, et meo cerebro, ire ad domum convivii, quam luctus.* Contestatus id ipsum Olfactus dicens: Ipsum supremum Numen thure & acerrâ colli-

tur. Pisci præstat odoribus, quam fœtoribus. Conclussit denique Tactus: Perbelle dicitis fratres, ego vobiscum sentio: *Melius est ire ad domum convivii quam luctus.* Jucundius mihi est tractare rosas, quam spinas; lilia, quam cadavera; aurum & laurum, quam ferrum & lutum: Hoc votum meorum sensuum, quasi scabinorum extitit.

Verum quum ad supremum Intelligentiæ, ac sanioris iudicii Areopagum <sup>Voluntas</sup> appellarem, paruit fatidico ore prolocutum esse. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Etenim prout ibidem ratiocinatur; in domo convivii obliviscimur finis nostri, ac malorum, vel ipsijs gaudijs independentium; in domo luctus de ijsdem <sup>penlanda</sup> exactissime instruimur. <sup>ex fine</sup> *In ea enim finis cunctorum admonetur hominum.* Non principium rei, sed finis considerandus. Pensanda Voluptas non ut venit, sed ut abit; non quam læta fronte accedat, sed quam tristi recedat. *In illa finis cunctorum admonetur hominum.* In domo luctus manifestum evadit, quam miserè pereant, qui voluptuosissimè vixerunt. Inibi apparet, ut rosæ in spinas transformentur, mel in sel, sacchara in toxica. Ibi apparet viam regiam fuisse à delitijs ad dolores, à divitijs perperam expensis ad pauperiem, à felicitate ad miseriam. Ibi liquet nullum tam dulce bonum, quod non mixtum sit poculo mœrorum. *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum.* Ibi videmus ad quantam ille helluo miseriam devenerit, quæ infamia sardanapalum exceperit, quam tragicum saltum ementitæ illæ symphonix luserint.

riat. Ibi palpamus, quomodo Domina illa, quæ ferme iadies rhedâ extra pomeria solatorum captandorum ergo vehi solita contabuerit; quomodo centonibus vestiantur, quondam induti purpurâ. *Ibi enim finis cunctorum admonetur hominum.* Sit itaque fixum, firmumque melius esse ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, & ex Capharnaum, seu ex loco voluptatis proficisci, vel certe inibi commorari miseriam, luctum, calamitatem.

## §. II.

*Capharnaum ducit AEgram.*

VIII Porro per eundem Capharnai, seu voluptatis callem ad nos pro-  
vchi omnia morborum genera multò illustrius comprobatum est.

Argumentum stabiliendæ hujus veritatis assumo urbem Jerosolymitanam, & quæro, quoniam in loco major pars hominum inibi languoribus pressa decumbat? Et audio supremum Regis regum Cancellarium dilectissimum dicentem: *Erat autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Bethesda, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Quid verò istud? cur prope locum hunc, & non alium? Cur in porticu piscinæ istius & non in aliis? Non fundo dubium in piscina præcise; ita enim facile nodum quivis rescinderet, dicendo; id factum ad indicandum brevi futuros tam sanos, ac piscis in aqua; aut ad solatium decumbentium, quatenus ex perpetuo piscinæ motu, & labentium lympharum, nulla hic esse bona cor-

poris immobilia, omnia mobila, fluxa, transitoria conjicerent, ac meditarentur; aut certe ad confirmandum sacri laticis mysterium. Quod quemadmodum per aquam hujus piscinæ ab Angelo agitata DEUS corpora sanabat, sic per laticem Baptismatis olim conferendam salutem. Id enim in typo tunc figurabatur, quod nostris temporibus, per descensionem sancti Spiritus, futurum nuntiabatur. Id dico nodus dubii mei non est; sed cur prope Bethsaidam? Cur hoc nomen, quod significat piscinam pecuariam inditum huic loco? An eo fine duntaxat, quod in eo pecora offerenda abluerentur; vel prope servarentur? An non idcirco verius, ut qui vitam pecudum instar duxissent, pecoribus aggregarentur, & morbis, infirmitatibusque compediti in eo Pandochio sacra Proserpinæ præstolarentur.

IX. Comminiscuntur Poetæ Iovem hominum amore captum misisse illis in solatium Deam gratiosissimam, seu in persona Deorum maximarum Voluptatis. De cujus adventu certiores facti mortales obviis eam ulnis excepere; hanc juvenis, hanc senex, hanc pauper, hanc dives ad deorū usq; injuriam deperibat. Eoq; devenit eorū vesania, ut relicto Jove, soli Voluptatis sacra facerent, illam invocarent, illam devenerarentur. Exacerbatus eam ob rem Jupiter, senatam Deorum coegit, quidnam hac in re sibi agendum consulturus. Non desuere, qui tritulci falmine petenda eorum capita decernerent, aut novo cataclysmo involvenda, aut fame, peste, bello de medio tollenda judicarent. Indignus enim est

*Fabula de Voluptate.*

M m m

vita,

vita, quisquis beneficia auctori debita muneris, aut operi attribuit. Postremum Mercurii, idque sapientissimum votum erat, subducendam esse Voluptatem, & Ageriam id est afflictiones, & agritudinesque in illius habitu sufficiens, ac substituendas esse. Approbatum illico votum est, & ipsius Mercurii executioni demandatum. Quid ille? Delapsus è supremo convexo in terras, inquit ubinam Voluptas moraretur, invenitque multitudinem copiosam eam coronantem, pulstantem circum eam manibus, pedibusque choreas agitantem. Hinc ut dextrè eam subducatur ipsemet eam prehensat, saltum simulat, & in eo, aliis aliò averfis ad Eremum proximam illa comitante deproperat; ubi Voluptas despoliatâ Ageriam inducit, & cum ea ad chororum revertitur. Queritur interea ubivis, quonam Voluptas recesserit, quonam loco moretur? Cum ecce Mercurius Ageriam morborum, ac calamitatum matrem representat in persona dilectâ, quam Amasij ipsius fallente oculos habitu astitutum complexi, non nisi sero fraudem, & officias Mercurii perspexere. Quo commento id nos edocere nitebantur, in cassum nos hic vera sectari gaudia, ubi personata sunt omnia. Voluptati Ageriam, seu agrimoniam indissolubili vinculo conjunctam, per Capharnaum iter regium Agram, seu agritudini pandi.

Lacti.

X. Ea propter Democritus voluptatem morbo comitiali contulit, qui repente omnibus viribus hominem destituit, & in terram prostermit. Alii Cyrceo id toxico comparant, quod

homines ad insaniam redigit; Experientia ipsa seminum quodpiam morborum demonstrat, quod plures in homine progerminat agritudines, quam tellus herbas salutiferas. Nimum hæc perspicua sunt, nec ab ullo sanæ mentis negari queunt. O quam fiderati sunt itaque, qui concessis à Deo solatijs abutuntur, ad illicitas voluptates laxatis concupiscentiæ frenis properant, eruditum ad cupedias palatum copia ciborum exacuunt, Voluptati sibi, secluso deo, despondere allaborant. Noverint hi se ex amplexu illius brevi avellendos; ex paradiso in agrum Damascenum deturbandos, ex Capharnaum Agra futuros.

## §. III.

*Capharnaum mortis domicilium.*

XI Quid dico Agra? Corripio memet, & ajo apud Lachesim pernoctaturos. Hæc enim sardanapalis comprimis infesta est, eorum fila furivâ forfice, dum minime ominantur, intercidit.

Stupet Petrus Chrysológus quid causæ sit, quod tam invicti Heroes, illi gloriosissimi Alexandri, fortissimi Hercules immatura morte defuncti sint; & totam in luxum culpam conijcit. Bella inquit gentium legimus superasse quam plurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse, & audivimus eos dedisse delictis peiora qui dorsa hostibus non dederunt. Et mox eum gemitu exululat. Proh dolor! victores gentium vitiorum fuisse captivos, stetit inter savientes gladios, & inter enervata lenocinia corruisse, regnis fuisse terrori, in dicitro fuisse peccatis, adversas acies contrivisse jejunos, & crapulatos

Voluptas  
proxima  
mortisChrysol.  
ser. 4. 1. 10  
Jejunio

pulatos suam castra dissolvissse virtutū, jacuisse effuso vino, qui jacere effuso sanguine nescierunt. Ita nimirum quos nulla vis hostium debellare valuit, eos stravit luxus, ac voluptas. Qui leones Lybicos jugularunt, iis manus violentas intulere lenones. Quos nulla virtus enervare potuit, fregit, effœminavit, interemit vitium. Unde perbelle Poeta:

Quippe nec ira deum tantum, nec tela, nec hostes.

Quanta sola nocet animis, illapsa voluptas.

In confesso est Babylonem typum extitisse omnis arrogantia, ac voluptatis. Huic ore Isaiæ Vatis minatur Dominus: *Et erunt sirenes in delubris voluptatis.* Bene hic sibi quispiam illorum ominaretur, servituras illas suo genio, earumque blandum decanturos. Sed audite quid textus alter genuinus, seu originalis dicat: *Erunt dracones in delubris voluptatis;* qui nimirum eos virore suo viciant, ac de medio tollant. Nec quicquam enim facilis, quam Sirenes transformantur in dracones.

XII. Sirenes comminiscuntur Poetae monstra maris extitisse ore virgineo, & corpore parte unâ humanâ, alterâ draconinâ. Hæ tam blandè modulari solitæ, ut transeuntes nautæ earum vocum dulcedine delibuti, facile somno conciperentur, quos illæ subinde conscenso navigio strangulabant, depascebantque. Symbolum id voluptatum nostrarum, blandiuntur oculis formâ suâ, aures deliniunt modulis, eor occupant desideriis, demum strangulant.

XIII. Hinc Camerarius eas depingi fecit ludentes in mari tranquillo, & modulis suis naves vicinas fascinantes, adjecto hoc Claudiani Lemmate: *Mortem dabit ipsa voluptas.* Velut Gamberto videtur: *Metuenda voluptas.* Voluptas enim siren est quæ delinitos, & fallaciis suis captos suffocat, ac strangulat.

XIV. Si animus cuiquam est, videre ejusmodi sirenem, deflectat oculum ad hortum deliciarum, paradysum voluptatis. Videbit in ea Evam omnium viventium Matriarcham obambulantem, & fructus ex una parte contemplantem, ex altera sirenem facie virginea blandissimè modulantem: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bonum, et malum.* Colent, et adorabunt vos omnia animantia terræ, penetrabitis arcaniora non naturæ duntaxat, sed ipsius Divinitatis consilia, nihil tibi absconditum, nihil incognitum futurum. *Eritis sicut dii.* Promicabunt illico radii ex corpore vestro, & solis instar fulgurabitis. *Eritis sicut dii.* Ecce sirenem blandientem, audite jam mactantem: *Vidit igitur mulier quod bonum esset signum ad descendendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu ejus, & comedit, deditque viro suo; & impleta est prædictio Domini: Quacunque die comederis morte morieris.* Sicque & se ipsam & posteros suos toxico exitiali enecuit.

Querit hoc loco S. Ambrosius cur sathanas deo permittente in forma sirenis, seu serpentis apparuerit? Cur non in forma alicujus aviculæ, aut alterius animantis? Et respondet præfatus Author, ut vel ex hoc ipso pateret, quis voluptatis illicitæ fructus.

M m m 2

Ei

Isa. 13. 22.

Hebr.

Gen. 3. v. 4.

Gen. 2. 17.

Amb. b. 1.

Ei terra cibus, sicut serpentis, qui ignorat caelestem; corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species, tortuosus angulatur anfractibus; venenum in dentibus habet, quibus sese voluptas interneecat. Dum ridet rodit, dum blanditur necat, dum tangit strangulat.

XV. Vultis aliam? Respicite Jachel uxorem Haber. Deflexit ad eam dux exercituum Regis Cananæorum Sisara, & fractus in fausto cum Israelitis certamine, ac fugâ, petiit ab ea haustu lactis. Cui illa promptè utrem lactis aperuit, & dedit ei bibere; utque requiesceret securius, operuit eundem. Ecce illicium voluptatis; ecce sirenem lenocinantem! Quid factum? Dilinitus illius blanditiis recubuit, altumque indormivit. *At Jachel tulit clavum tabernaculi, assumens pariter malleum, & ingressa absconditè posuit supra tempus capitis ejus clavum percussumque malleo defixit in cerebrum, usque ad terram.* Lufus, ac cursus hic voluptatis solenissimus, propinat lac in manu, mel in ore, in manu fel & toxicum.

XVI. Vultis alias, atque alias? Audite occinentes: *Venite fruamur bonis que sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Vino optimo, & unguento pretiosissimo nos impleamus, & non pratercat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant.* An non sirenum hæc voces, & illecebræ? At quis exitus? *Lassati sumus, inquit, in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.* Quid nobis profuit superbiam nostra, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? *Transferunt omnia illa, tanquam umbra: Voluptas nostra*

duravit per momentum, & in omne ævum manet tormentum, duximus in bonis dies nostros, & in puncto ad infernum descendimus. Ita dum rosis coronamur, statim anguibus cingimur; viperisque criniti, non scuto Gorgonem, sed cervice præferimus.

XVII. Compertus hic probè exitus erat Academia Altorffiana, idoque ut alumnos suos à noxiis voluptatibus avocaret, efformavit sirenem ossium acervo, perinde ac throno suo insidentem, ac obvios blande crepundiis, ac bellariis sollicitantem: *Venite fruamur bonis dum sunt &c* Parte ex altera stabat juvenis oculos avertens, ac reclamans: *At me vestigia terrent.* Video, quod cuncta tendant prorsum, nulla retrorsum, scio multos transisse ad vos, nullos salvos rediisse ad nos. *At me vestigia terrent.* Intueor infra vos acervum ossium, circum miseros, & afflictos; conspicio faciem virginis, & caudam draconis. *Me me vestigia terrent.*

XVIII. Hic sensus, hæc prudètia tua deberet esse mi Christiane. Audis allicientem sirenem venenatam, sororè perversam, aut locium ad amores illicitos; dic: *At me vestigia terrent.* Audis alterum ad comotationis, comestationes, crapulam adurgentem &c. repete *Me me vestigia terrent.* Novi, ah novi, quid aliis evenerit, nec me later, cur hæc aut illa Domina, cur hic vel ille quondam dominus, nunc pauper Lazarus mendicet; exploratum, qua de causa hic infirmitate laboret, immaturâ alter morte præventus sit, liquidum, quod dum rosis amornamur, anguibus inhorremus, *Hæc*


Tipot. in  
symb.

me vestigia terrent. Tanti haud emo  
pœnitere, valete gaudia, gymnasia  
acerbissimarum ægritudinum, valete  
quiesciliarum epulæ.

XIX De Ulisse in paucis pruden-  
tissimo refertur, quod cum eidem si-  
renum laribula enaviganda forent, au-  
res cerâ obturasse, seque ad malum  
navis alligari præcepisse, ac sic indem-  
nem præternavigasse. O verè ingenio-  
sum inventum! ô deprædicandâ mille  
titulis prudentiam! Utinam, utinam e-  
andem Christiani imitarentur; utinam  
in navigatione sua per mundi hujus  
Oceanum, ad malum sanctæ crucis,  
seriæ meditationis funiculis sese alli-  
garent? O quam securè hæc monstra  
transirent, quam prosperè portum fe-  
licitatis, spretis sirenum modulis ob-  
tinerent. Qui enim illicitis inhæcere  
potest voluptatibus, qui meminit ad

Cruce refu-  
gium in ren-  
tationibus

eam expiandas Filium DEI, vindicem  
suum, tam dura, ac dira perpeffum?  
Eritne quispiam tam impotens sui, qui  
cibo, potuque nimio abueatur, dum  
perpendit Redemptorem suum felle,  
& aceto potatum? Fierine potest, ut  
affectibus carnis abstraheretur, qui  
meditatur ea propter sequestrum su-  
um ad columnam dirissime flagellis  
cœsum? Fierine potest, ut frenos suos  
laxet cupiditatibus, recordando ad  
eos contrahendos eundem crudeli in  
stipite, clavis trabalibus confixum?  
Quod si tamen quispiam tam effrenis  
est, ut in tam arcto salutis, exitiique  
confinio licentiæ litet; is timeat ne  
has lamias, miseriam, morbum, mor-  
tem, inquilinas habeat. A quibus  
ille nos defendat, qui citra ter-  
minum vivit, ac regnat,  
Amen.



CONCIO L.

IN DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Tenens suffocabat eum. Matth. 18.

ARGUMENTUM.

Mare felleum naufragiis infame.

seu

IN FELLEO PECTORE NAUFRAGATUR FIDES,  
SPES, CHARITAS.

**P**Er Deum qualenam hoc est  
monstrum, quod nobis in  
hodierno Evangelio objici-  
tur? Aud. Quale monstrum  
eius vultus pallore mutatur, ignes-  
eunt oculi, tremit corpus, cor palpitat?

Quale monstrum, quod frontem atra  
nube supercilij exasperat, frendet den-  
tibus, pedibus solum quatit velut un-  
gulis, ac totius corporis habitu efferum  
præsefert ingenium? Quale monstrum  
quod rabie afficitur ut canis, rugit ut  
leo,

Mmm 3

leo,